



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Vita S. Godefridi Episcopi Ambianensis 34. Ex ea quæ est per Nicolaum Monachum Sueßionensem eius æqualem. Migravit ex humanis anno Domini 1118. Episcopatus sui 11. Aetatis verò suæ 50. Translatio ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

vbi ab Hadriano Pontifice peramanter excep-  
tus, & suauissima consolatione refectus, tan-  
dem in Franciam lætus redijt.

Porro Carolo Francorum Rege iubente, in  
VVigmodiam reuersus, Christi fidē publicē, &  
strenuē prædicauit, destructaq; tēpla instaura-  
uit; & eodem quoq; anno Frisones desertores  
ad Christi fidē reduxit: & ipsū postremò VVe-  
dekindū totius mali auctorem baptisate lu-  
strauit. Carolus aut Rex cū esset Vvornatiz,

*Vvedekin-  
dū baptiz-  
atur.*

*VVillehadus  
fuit primus e-  
piscopus Bre-  
mensis.*

Christi sacerdotē, antistitē consecrari voluit;  
eiusq; parocciā VVigmodiā, Haras, Vvriusfri,  
Astergam, VVangam & Noerden subiecit. Igi-  
tur vir sanctus primus ibidem episcopus cōsti-  
tutus, piē admodum & religiosē functionem  
illam annos duos, menses 3. & dies 26. admini-  
strauit, virtutumq; studia multis modis adau-  
xit. Bremæ verò insigni opere templū cōdidit,

*Construit e-  
gregium tē-  
plum Bre-  
mæ.*

dedicatumq; in honorē saluatoris, Apostolo-  
rum Principem patronū eius elegit: & in ea vi-  
be cathedrā episcopālē cōstituit. Fuit aut mi-  
abstinentiæ, ita vt Pontifex Hadrianus ad pil-  
cium esum, quibus vti non solebat, cogere de-  
buerit. Tandem cū ecclesiam suā studio pie-  
tatis & religionis egregiē florentem reddidisset,  
in loco, qui \* Bleckenfee dicitur, acri cor-  
reptus febre ad cælos migravit.

*Mira eim  
abstinentia  
\* Plecarre  
Plexen.  
Obiit felici-  
ter.*

VITAS. GODEFRIDI EPISCOPI

*Vide Notat.  
C. Baron in  
Martyr.  
Rom.*

Ambianensis 34. Ex ea qua est per Nicolaum  
Monachum Sueßionensem eius aequalē. Migra-  
uit ex humanis anno Domini 1118. Episco-  
patus sui 11. Aetatis verò suæ 50. Translatio an-  
nem facta est, anno 1138.

BEATV



**B**EATVS Godefridus pago Sueffionenfi  
 oriundus, parentes habuit Frodonem &  
 Elizabetham ingenuis non solum mori-  
 bus & vitæ integritate, sed religionis etiam &  
 misericordiæ virtutib. eximie ornatos. Est ce-  
 lebre monasterium in Veromanduorum solo,  
 Beato \*Quintino martyri sacrum, Peronæ op-  
 pido propinquum. Ei præerat egregia generis  
 & morû nobilitate vir, Godefridus; Idæ, filix  
 nobilissimi Alberti Comitis Namurcensis, pa-  
 truus, cui magna cum Frodone eiusque coniu-  
 ge erat familiaritas; qui etiam suis suorumque  
 precibus hunc eis filium à Domino impetra-  
 se, eaque de causa baptisinate iulstratum suo  
 nomine appellasse dicitur. Itaque pius infans  
 & summæ expectationis puer, quinquennis ad  
 Godefridum Abbatem à parentibus est dedu-  
 ctus; qui eum peramanter amplexans, libera-  
 libus disciplinis atque monasticis imbuendû  
 curauit. Nec frustra ijs adhibitus est puer: nam  
 procedente tempore cunctis virtutibus & dis-  
 ciplinis ad miraculum vsque excultus, mori-  
 bus ornatus, & diuinarum rerum cognitione  
 instructus, tandem 26. ætatis suæ anno sacerdo-  
 tio initiatus, è B. Quintini ad Nouigenti mo-  
 nasterium Abbatris titulo administrandum om-  
 ninò inuitus euocatus fuit.

Erat illud monasterium tunc tēporis extre-  
 ma rerum omnium inopia oppressum. Sex tan-  
 tùm monachi, pueruli duo, ijque cælestium re-  
 rum admodum rudes locum incolebant. Cel-  
 lular & habitacula angusta, erāt solis viminib.  
 intexta; tribuli, spinæ, dumeta, aliaque arbusta  
 passim excreuerant: denique erat loci facies

Gg 2 adeo

8. Nouēb.  
 Patria &  
 parentes.

\*Eius vita  
 habetur 28.  
 Junj.

Quinquennis  
 traditur mo-  
 nasterio.

Fit Abbas.



adedo misera & desolata, ut miserius esse non posset. Quæ res virum Dei ad provinciam alacri animo suscipiendam, (utpotè paupertatis amantem, & benefaciendi studio acriter incitatum) inuitavit. Itaque succis extirpatisque arbutis, agroque erudato, noua à fundamentis monachorum extruxit habitacula; & quod omni laude dignum est, domum fouendis recreandisque pauperibus & ægris condidit egregiam, & terris vineisque ditatam quotidie ipse per se benignè humiliterque iustrabat: singulis vestes cibosque præbens; pedes abluens; ulcera curans; & si quæ erant corpora defunctorum, sepulture officiosissime mandans. Per multa sanè alia memoratu digna illic & alibi gessit vir sanctus, quæ nos, ad alia eius prope- rantes, omittimus.

*Eximia eius  
in pauperes  
misericor-  
dia.*

*Gerinus  
Ambianen-  
sium episco-  
pus sedem  
suam deserit.*

*Godefridus  
succedit in  
locum eius.*

Per id tempus, \* Gerinus Ambianensium Episcopus; vir non admodum sanæ mètis, quibusdam rebus aduersis vexatus, sedem suam plane deseruit. Quod cum periculo vacare non posset, post ieiunia precesque per rotam diocesim habitas, tandem Godefridus communi omnium consensu est electus: & in Trecenti Concilio sanè celeberrimo confirmatus. Et ille quidem fugam meditabatur; sed studio & industria Richardi Cardinalis (qui Apostolicæ sedis legatus Concilio præerat) interceptus & infula pontificali à Rhemensi Archiepiscopo Manasse consecratus est.

Ea igitur dignitate & honore decoratus Ambianos profectus est: Aduentanti vrbs tota obuiam ruit. Vbi verò ad beati Acioli martyris ædem, quæ extrà vrbs muros est, ventum fuit, illic



illicò vir diuinus iumento desiliens, vtrumque  
 latus eius, Lamberto Arrebatensi & Ioanne  
 Morinensi Episcopis sapientia & eruditione  
 claris, stipantibus: reliquum itineris ad beati  
 Firmini martyris basilicam nudis confecit pe-  
 dibus; ab imo pectore trahēs suspiria, & pectus  
 lachrymis vbertim rigans. Postremò ad po-  
 pulum concionem habuit, tanta virtute & do-  
 ctina instructam, vt cuncti eum sancti spiritus  
 organum esse conclamarent.

*Magna in eo  
 virtus con-  
 cionandi.*

Ille verò Episcopi dignitate auctus, Salua-  
 toris præclare vestigijs insistens, dictis factis-  
 que suos æternæ salutis docebat viam. Paupe-  
 res conuiuas quotidie habebat tredecim;  
 quos, ablutis sua manu eorum pedibus, ci-  
 bopotuque largiter reficiebat. Domus eius,  
 non Episcopi, sed Christi aula videbatur, Or-  
 phanorum & miserorum magna illi cura e-  
 rat; ita vt ea de causa à quibusdam canino sæpè  
 latratu peteretur: quos ille obrurata aure præ-  
 teribat.

*Pauperum  
 lauat pedes.*

Venerunt quandoque ad eum leprosi non  
 pauci aspectu horrido, cute lurida, sanie de-  
 fluente, vultu vulneribus occupato, ita vt præ  
 horrore quidam eos intueri non possent. Pe-  
 tunt illi, imò propemodum imperant, vt victum  
 ipsis necessarium suppeditet. Eos vir pius ne-  
 quaquam auersatus est, sed data benignè salu-  
 tatione, summisso orat capite, vt sibi benè pre-  
 centur. Mirè interim anxius animo, quod ni-  
 hil vel in manibus, vel in arca haberet (totum  
 enim in pauperes effusum erat) q̄ eis largire-  
 tur, tandè mandat œconomo, vt sinè dilatione  
 ciborum eis copiam præparet. Ille verò alijs

*Exemplum  
 rare virtu-  
 tis.*



intentus, Episcopi mandatū negligit. Interea paucis post horis adsunt denuò miseri illi, mirè crepitaculis suis perstrepentes. Mox aduolat Episcopus, audiensq; eos nihil ab Oeconomo accepisse, culinam ingreditur (quod ea tantum vice, in omni vita fecisse memoratur) cernensq; ibi salmonem ingentem, qui cœnæ apparabatur, eum in suos conijcit humeros, & ad pedes leproforum festinò deponens illum eos accipere iubet. Illi gratulabūdi piscem tollūt, & tanta benignitate cōpuli, miris Episcopum apud oēs laudibus extollūt. Oeconomus verò domum rediēs, vbi cōperit episcopum tam insignem piscem leprosis dedisse, quibusdam, ut aiūt, furijs agitatus, multis proscindit episcopum cōuicijs: clamitans nō sano esse cerebro, qui sic res suas profundat. At vir Dei nihil tāta motus iniuria: Itanè, inquit, tibi æquum videtur, homines eodem precio redemptos, Christi sanguinem bibentes, cœlesti beatitudine donandos, fame cruciari, & mihi extremo hominioni ferculorum lautitias apparari?

*Impuros  
cleros vt  
castigari.*

Sanctitatis & pudicitiae custos ad eò præclarus & studiosus vbiq; extitit, ut infames Clericos vel impuro matrimonio copulatos, non solum à suo cōsortio, sed etiam à Chori ingressu constanter arceret. Eam ob rem multis quotidie conuicijs & insidijs appetebatur: quas cū ille forti animo contemneret, tandem cuiusdam Clerici concubina è medio eum tollere cogitauit. Misit itaque illi vinum aromaticum, helleboro infectum. Accepit id quidem cum gratiarū actione episcopus, sed ob oculos statuens, cognouit ilicò virus in eo exitiale latitare.

*Venenū sibi  
oblatum di-  
uinitus co-  
gnoscit.*



titare. Itaque intinctum in eo potu panis fragmen discurrenti per aulam obtulit catello; qui paulò post in somno extinctus est.

Insignem etiam & minimè tolerādam à monachis S. Valerici passus est quandoque cōtumeliam; qui venientem ad monasteriū, vt quibusdam presbyteris longè ab Ambianorū ciuitate separatis, calices & lintea consecraret, summa cum iniuria repulerunt: vixq; à manib. temperantes, Antistitis auctoritatem in suo monasterio nullam esse dixerunt. Quod vt improbi illi ( multis enim vitijs tunc temporis monasterium illud scaterere dicebatur ) contra fas omne confirmarent, commentitias finxere literas, tanquā à Romano Pontifice speciali priuilegio datas, quibus Ambianensis Episcopi auctoritatem in Valerici monasterio sublatam esse contendebant: eoq; litem donis muneribusq; protraxerunt, vt vir sanctus bis Romam pergere debuerit, vbi acceptis demum à Paschali Pontifice literis cōtumaces illos monachos, sibi tanquā patri & pastori legitimo subditos esse fecit.

*Patitur à monachis S. Valerici insignem cōtumeliam.*

*Romam proficiscitur ad domandum monachos istos.*

Post hæc vir prudens sapius perpendens secularium tumultuum tempestates, præclara seruorum Dei fama, qui in Carthusia non longè à Gratianopoli degebāt, excitatus, relictis omnibus, eò se contulit: atque in optatum diu solitudinis locū cælestia tantum contemplaturus abdidit. Præerat tunc Carthusiæ S. Godefridus Guigo; vir doctrina & vitæ integritate conspicuus; qui Godefridum angelico planè vultu resplendentem peramanter excepit, sanctissimoq; fratrum collegio indissolubili fieri.

*S. Godefridus cupit in maiori Carthusia monachus fieri.*



vinculo adiunxisset, ni Romani Pontificis & procerum totius Gallia iustam indignatione veritus fuisset. Cupiebat quidem sanctus antistes reliquum vitæ suæ tēpus in ea eremo cum sanctis fratribus exigere, eaque de causa se per literas episcopatu abdicauerat: sed vbi res innotuit, dicto citius ad sedem suam reuocatus, & celerrimè è Carthusia redire compulsus est; vbi tamen multa reliquit virtutis & sanctitatis exempla: quæ etiamnum inter fratres celebri memoria vigent.

*En vt subditi deficient, ab ente Pastore.*

Igitur reuersus ad sedem suam, rebelles subditorum animos ad solenne Quadragesimæ ieiuniū inducere conatus est. At illi episcopum nouas leges præscribere calumniantes, non modò carnibus abstinere noluerunt, sed cunctis etiam alijs oblectamentis Ecclesiæ præceptum contaminarunt. Quod cum episcopum minimè lateret, adueniente Dominicæ cœnæ die, rebellibus hanc irrogauit mulctam, vt à sacrosancta Eucharistia ad secundam vsque Paschatis feriam abstinere. Fuit tunc reorum vnus, qui spreto antistitis mandato, sacrae communioni se ingerere non dubitauit; muliebri habitu sexum mentiēns foemineum; nè fortè à sacerdotibus agnitus repulsam pateretur. Et eccè, sumpta Eucharistia, repente tantis tamque acerbis viscerum cruciatur doloribus, vt humi stratus, spumas ex ore eijceret cruentas, & quod indignus sumpsérat, cum multo sanguine, cunctis cernentibus, euomeret.

*Punitur diuinitus Eucharistiam cõtra sancti viri prohibitionem sumens.*

Hæc & similia rebellium facinora mirè eius animum exulcerabant: maleuolorum insuper & quo-



& quotidiana ferè inuidorum conuicia, ver-  
sutaque machinationes, rursus, fugam ei sua-  
debant. Harebat illius animo eremus Carthu-  
sia, & suauissima sanctorum fratrum recorda-  
to lachrymas illi frequentes eliciebat: sed gre-  
gem sibi commissum quanquam rebellem &  
ingratum deserere nefas arbitrabatur. Crebro  
tamen Deum precabatur, ne ipsum in ea regio-  
ne vitæ terminum claudere pateretur. Itaque  
Rhemorum urbem (incertum qua de causa)  
petiturus, apud Suesiones in Crispini & Cri-  
spiniâni monasterio febris correptus, paucis  
post diebus vir sanctitate venerandus & omni  
laude maior è vita excessit: eodem in loco se-  
pultus, quem in omni vita pro SS. Martyrum  
amore pio admodum affectu excoluerat. Eius  
verò monumentum, hoc insigni decorauit Epi-  
taphio, Goslenus Suesionum Antistes; qui &  
multo post tempore sacras eius Reliquias,  
Suesiones transtulit: & antè summam aram  
sub testudine honorificè recondidit,

*vehementer  
aspirat ad  
Caribufiam.*

*Feliciter  
decedit.*

*Epitaphiũ S.*

*Godefridi.*

*Appellatus  
est hic mar-  
tyr etiam*

*Amasenus,*

*ob locum,*

*vbi passus*

*est. Et Eu-*

*chaita à ci-*

*uitate in quã*

*eius corpus*

*translatum*

*est: quæ po-*

*ste à ab eodẽ*

*Gloria Pontificum, Cleri decus. ac Monachorum*

*Forma, gregis Dux, exemplar morum Godefridus:*

*Hic iacet: astra petens, octaua Luce Nouembris.*

**MARTYRIVM S. THEODORI DUCIS.**

*nis duci, ad differentiam Theodori Ducis. Ex*

*actis à Simeone Metaphraste conscriptis. Pas-*

*sus est anno Christi 304. teste Baron. Tom. 2.*

*Annal.*

**MAXIMIANVS & Maximinus Impe-**

**ratores cum per vniuersas prouincias**

**ditioni suæ subiectas cauissent, vt om-**

**nes Christianis sacris initiati mortis euaderet**

Gg 5

sup-